

uini, et sic etiam in administratione Sacramentorum consistunt, ut tamen nec publica autoritate, nec publicis in locis, nec publicis impensis fiant, sed vel a singulis patribus familias, vel a quibusdam congregatis adornentur, interim tamen per ordinatum Ecclesiae Ministrum expediantur. Coincidunt, quae ad saepius citatum §. 34. commentatur Ill. HENNINGESIVS in Meditat. ad Instr. Pac. p. m. 516. *Domestica*, ait, deuotio consistit in eo, cum pater familias sine Sacerdote vel Ministro Verbi ad id conducto domi suae pro se liberisque et reliqua Familia legendo Scripturas et conciones, psallendoque Deuotioni vacat, et hoc modo se suosque docendo adhortandoque in pietate et amore erga Deum et proximum promouere studet. Quoniam igitur hic gradus ultimus Sacerdotem aut Parochum, qui Sacris faciendis et Deuotioni praesit, non admittat, sed opera tantum Patris familias aut alius ex Familia rem omnem metiatur: utique ex eo etiam sequitur, domesticae Deuotionis exercitio non comprehendi, quae sine persona Ecclesiastica ad cultum Diuinum rite ordinata expediri vel administrari nequeunt, uti est Baptismus Infantum extra casum necessitatis. confessio auricularis, administratio sacrae Coenae. indictio ieiunii et dierum poenitentialium, Copulatio matrimonialis, celebratio Funebrium et his similia. Recte enim Viros hos Illustres rationes hic suas subduxisse clarius patebit, quando mihi dabitur, in naturam Exercitii Religionis domestici per partes eius singulas eundo, ad ductum Art. 5. §. 34. Instr. Pac. Westph. eiusdemque Historiae supra contextae curatius inquirere; at quo minus hoc a me fiat in praesenti Schediasmate, imo et hoc, ut porro monstrem, suos et hanc Exercitii Religionis speciem habere gradus; ut examini subiiciam: quibusnam personis indulgeri necessario debeat domesticum Religionis exercitium et in quantum? denique et: an is, qui in Anno decretorio domestici cultus possessione gauisi sunt, emi.